



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0363

Sabato 11.06.2011

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL  
BICENTENARIO DELLA NASCITA DI SAN GIOVANNI NEPOMUCENO NEUMANN  
(PRACHATICE, REPUBBLICA CECA, 18 GIUGNO 2011)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL BICENTENARIO DELLA  
NASCITA DI SAN GIOVANNI NEPOMUCENO NEUMANN (PRACHATICE, REPUBBLICA CECA, 18 GIUGNO  
2011)

In data 18 aprile 2011, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Justin Francis Rigali, Arcivescovo di  
Philadelphia, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del bicentenario della nascita di San Giovanni Nepomuceno  
Neumann, che avranno luogo a Prachatice (Repubblica Ceca) il 18 giugno 2011.

La Missione che accompagnerà il Cardinale Inviato Speciale è composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Zdeněk Mareš, Decano del Capitolo della Cattedrale di San Nicola;
- Rev.do Don Vlastimil Kročil, membro del Capitolo della Cattedrale di San Nicola ed Amministratore a Veselí nad Lužnicí.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Justin Francis Rigali:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratри Nostro  
IUSTINO FRANCISCO S.R.E. Cardinali RIGALI  
Archiepiscopo Metropolitae Philadelphiensi Latinorum

Sanctus Ioannes Nepomucenus Neumann, episcopus et Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodalis, per diligentem pastorem navitatem in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis pro spiritali et sociali progressionem fidelium sibi creditorum exercuit, migrantes consilio et caritate adiuvit et de puerorum christiana institutione summo opere sollicitus fuit. Ille, primus canonizatus Episcopus memoratarum Civitatum, infantiam et iuventutem in Bohemia transegit. Ortus est die XXVIII mensis Martii anno MDCCCXI in oppido Prachatice, dioecesis Budovicensis. Nativus in loco scholam frequentavit atque deinde, vocationem ad sacerdotium praesentens, in Seminarium est ingressus. Sacramento ordinis anno MDCCCXXXVI in America est auctus atque, quosdam post annos diligentis ministerii pastoralis, in Congregationem ingressus est Sanctissimi

Redemptoris. Anno MDCCCLII sacrorum Antistes creatus est Philadephiensis et diligenter episcopale opus coepit potissimum in promovenda educatione catholica ac in explananda doctrina christiana.

Quandoquidem ducentesimus praeterit anniversarius dies a natali huius assidui praeclarique Pastoris et salutiferae veritatis praedicatoris, merito multa suscipiuntur incepta ut eius virtutes et vitae ratio, quae etiam fidelibus aetatis nostrae prodesse possunt, magis comprehendantur et propagentur.

Eadem oblata occasione Venerabilis Frater Georgius Padour, O.F.M. Cap., Episcopus Budovicensis, humanissime rogavit ut Nos quendam insignem Purpuratum designarem qui praecipuis celebrationibus in honorem sancti Ioannis Nepomuceni Neumann Nostro nomine praeesset atque verba spiritalis cohortationis pronuntiaret. Piae huic postulationi Nos annuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus qui munus Archiepiscopi Metropolitanae Philadelphiensis Latinorum studiose exerces, ecclesialis videlicet communitatis olim a memorato sancto gubernatae. Te igitur hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM Nostrum nominamus ad celebrationes ducentissimi anniversarii ortus sancti Ioannis Nepomuceni Neumann, quae die XVIII proximi mensis Iunii in Prachatice sollemni ritu peragentur. De eminenti hoc Ecclesiae viro loquens eiusque assidua operositate, omnes eventus participes adhortaberis ut vitae cotidianae exemplo novoque pietatis studio peculiarem dilectionem in Christum et Evangelium demonstrent.

Cunctos ibi congregatos sacros Praesules, potissimum Conferentiae Episcopalis Reipublicae Cechae, publicas auctoritates, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam.

Nosmet Ipsi Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur Tibique, sancto Ioanne Nepomuceno Neumann intercedente, Benedictionem Apostolicam libentes impertimur, signum Nostrae erga Te amabilitatis et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationum participibus rite transmittas volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Maii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00909-07.01] [Testo originale: Latino]

---